

ius. Mox a principio inter verba: *pervenire ad cognitionem Dei*, et: *Quanto namque in cognitione mei proficio &c.* locum 10. linear. interferit: *Heu adberendo sic ueritati per cognicionem sed ab illa defluendo per amorem — tradidit illos deus in reprobum sensum.* Atque haec nimis parum nexus habent, ut non quaedam omiffa, aut interpolationem subdorer.

III. fol. 58. absque titulo, sed praevia Epistola *Hugonis Victorini Soliloquium de Arra Animae*, quod prostat T. *supracit.* p. 223. Initium Epistolae: *Dilecto fratri G. ceterisque seruis Christi Hamertifene* (Librarii fors Itali, quales *Corvinus* alebat, *σφαλμα* pro *Hamerislevene*, vel, ut habent Edita, *Hamerislevea*, *Hamerleben* *Canonica* reg. ad *Halberstadium*, in qua religiosam vitam *Hugo* stirpe *Blankenburgicus* auspiciatus erat) *degentibus Hugo* (Edita tantum literam *H.* habent) *qualiscumque uestre sanctitatis seruus &c.* *Soliloquium dilectionis quod de arra anime intitulatum est, nisi &c.* Edita *αλογον nisi*, ut etiam, *spiritualium* et *muneris*, ubi rectius *Codex spirituali* et *unius*. Est vero etiam, ubi peccat. *Extrema: hoc totis uiribus* (Edita *praecordiis*) *concupisco.*

CCCCXXII.

U. 100 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. nunc 102. 4. nitide perscriptus, titulis miniatis, et quondam datus *ad librariam collegij ducalis testamento M. Pauli*

troppawer de vienna, ut ait theca anterior, *D. Bernardi Sermones* complectitur, tantoque majoris momenti est, quanto magis ad Autoris aevum accedit. Sunt vero hi maximam partem *de Tempore* et *de Sanctis*, immixtis tamen etiam quibusdam *de Diversis*, et extant edit. *Maur.* T. III. unde singulos enumerare supervacaneum duxi, licet et *Inscriptionibus*, et *lectione* saepe ab *Impressis* variant. Quae nihilominus observanda censui, haec sunt: *Fol. 9.* Sermo *in uigilia Nativ.* inscribitur: *de sententia martirosij*; lege *Martyrologii*, ne quis fortasse *Martyrem Osum* extundat. *Fol. 10.* p. 2. comparet: *De trina unione in tribus dei operibus et incarnatione Sermo bern. abbatis.* Tè *incarnatione* extritum est, et Sermo incipit: *Magna opera domini ait propheta. Magna quidem omnia eius opera fratres. siquidem et ipse magnus est, sed ad nos maxime spectant que in eis maxima esse uidentur. Hinc est quod psallit idem propheta dicens. Magnificauit dominus facere nobiscum. Denique quam magnifice nobiscum agat, specialiter tria quaedam ejus opera clamant: prime creacionis, presentis redempcionis, future glorificacionis &c.* Haec itaque beneficia tribus *pagg.* expenduntur; et concluditur: *Merito denique caritatem et humilitatem sequitur glorificacio. quia sine caritate nichil prodesse potest.* Sermone hunc *Bernardinis* circumdatum in *Bernardo* non reperi; sapit tamen *Bernardum*, et ejus cogitata *de Satis farinae fide Mariae fer-*
men.

mentatis, quae L. V. de *Considerat.* c. 10. leguntur, expresse refert. Itaque editores in suis eum Codicibus reperisse non videntur. *Fol.* 73. et 75. Sermones de *Assumptione B. V.* habentur quidem in Editione, verum aut hic, aut ibi mire transpositi. *Fol.* 83. p. 2. Sermo inscribitur: *Item unde supra, adeoque Bernardi.* Init vero: *Non immerito fratres nec ad insipientiam uobis ad audiendum uerbum domini auide conuenistis. quoniam uerba uite eterne habet. et uenit hora et nunc est quando mortui audiunt uocem eius et qui audierint uiuunt &c.* Nihil huiusmodi in Impressis *Bernardi*; at ante medium in uerbis: *Sed ecce uox domini clamat ad eum dicens. Peccasti quiesce &c.* nemo non uidet *Caput VI. Sermonis seu Libri de Conversione Clericorum* edit. cit. T. II. col. 477. et plura alia huius Libri uestigia per nostrum *Sermonem* sparsa, qui, cum pariter de *Conversione* agat, aut hunc prae oculis habuerit *Bernardus*, dum illum conscriberet, aut vice versa. Cetera finem uersus in alia abijt *Noster*, et concludit: *quia et eripuit animam meam de morte. oculos meos a lacrimis pedes meos a lapsu.* *Fol.* demum 95. Sermo *bernardi abbatis*, qui incipit: *Qui non amat dominum ihesum anathema sit &c.* quaerendus est inter *Sermones in Cantica n. XX.* col. 1326. ubi Exemplo nostro prolixior occurrit, et in uniuersum, si de reuisione *Sermonum Bernardi* olim ageretur, ratio foret habenda Codicis huius cum propter magnam lectio-

nis uarietatem, tum propter inscriptiones et diuersam *Sermonum* diuisionem.

Fol. 44. p. 2. occultae *Scripturae Specimen* uisitur in hoc Exemplo: *Si Deus est animus,* uocalibus 5. ita per puncta indicatis |. |:|:|:|:|:| Theca item anterior conuestita est membrana exhibente *Cantica Graduum CXXX* et *XXXI.* eleganti charactere hebraico absque punctis, sed in secundo legitur גבה לבי לא גבה.

CCCCXXIII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3296 XV. Folior. 404. f. maj. per duas columnas currente calamo exaratus, et minio distinctus est uastum Corpus *Sermonum D. Bernardi Abb. Claraevall.* nulla certa ratione ordinatum et in *Partes II.* tributum, quarum I. quae *fol.* 209. Indicem post se habet, incipit a *Serm. in Coena Domini*, qui Edit. *Maur.* T. III. col. 890. legitur hoc initio: *Hi sunt dies, quos obseruare debemus &c.* Sequuntur tamen mox aliqui de *Aduentu Domini*, item de *Diversis*, longi breuibz mixti. *Fol.* 293. p. 2. succedit *Pars II.* inchoans a *Sermone in Aduentu Domini*, qui inijt: *Exultate fratres in domino, quia de dominica illa sermo succedit &c.* neque *Bernardi* est, sed *Nicolai Claraevall.* et habetur Edit. cit. T. V. col. 565. Ita et plures *Bernardo* perperam tributi, et a *Maurianis* aliis Autoribus redditi utraque *Parte* occurrunt. Sermones singulos